



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati Caesarei, Pars Lyrica

Gibbes, James Alban

Romae, 1668

In Imagenim Alexandri, P.M. à philogis Mancinae Acedemiae, Humoristis,
publicè dedicatam. Ode XXVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13378

LYRICORVM LIB. III. III

Vtrique vestrum . Proh, minaces
Atria quot tenuere vultus !
Tu falle pronos nescia ponderis
Matrona menses, quæ tibi creditam
Debes columnam : semper inсто
Romuleis peregrinus aris .

IN CATHARINAM CANDIDAM
VVESTONAM, BRITANNAM;

Romæ ad S. Mariæ ad Niues funere elatam .

ODE XXV.

Albion primam dedit alma lucem ,
CANDIDAE nomen pudor atque forma ,
Par, Niues, toti niuæ locauit
Roma sepulchrum .
Orta sic virtus habet ipsa nomen
Candidæ, talem quoque sperat vnam ,
Si perit, Romæ : minor hoc, inibit
Seriùs astra .

IN IMAGINEM ALEXANDRI, P. M.

*à philologis Mancinae Academia, Humoristis ,
publicè dedicatam .*

ODE XXVI.

Dixerat parui Macedo ille vultum
Ferre Lyssippi, vel Apellis arte ;
Corde Pelidæ cupidus probati ,
Quod dat Homerus .
Cedit internæ vaga fama menti ,
Labilis cedit color . Eccè nostri
Laus ALEXANDRI per vtrumque stabit
Clara laborem .

Dexera

Dextra Phœbæis opifex alumnis
 Consecrat fictum : decora alta vates
 Versibus tollunt animi, Sibyllâ
 Teste, canendis

AD BONAVENTVRAM BARONIVM,
 FRANCISCANVM HIBERNVM.

Laudat Hiberniam à fide in Deum & Regem, & ut clarorum virorum matrem : inde ipsum ob Prolusiones Physicas prædicatione effert non vulgari.

O D E XXVII.

PRisco moueri fœdere Cœlitum
 Nullis, Ierne, conditionibus
 Adducta, nec regem perosi
 Brutigenûm patiens tumultûs,
 Pulsamquè toto reddere sanguine
 Iurata fedi ; qualia pectora
 Vtrique producis Mineruæ
 Egregio generosa fœtu !
 Pugnacis artes non mihi militis
 Fas est inermi dicere barbato ;
 Ad pacis, alternumquè amoris
 Finxit opus pater ipse vatum .
 Hac te, BARONI, parte sub æthera
 Tollam merentem ; Vergiuij maris
 Sirena tollam, nulla cantet
 Vt potior Siculas per vndas .
 Vidi ore vincto, vidi ego libero
 Torrentis instar currere, nunc Dei
 Tractum per immortale numen,
 Nunc rapidi per acuta mundi .
 Iamquè inuidendum te fore posteris
 Ediço sidus ; quippè facis iocum
 Veros labores . Quis parabit
 Seria ; vel graue quid putandum ,

Si lu-